

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUESTIO MEDICO-CHIRURGICA*,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-nonâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LIV.

M. CLAUDIO-JOSEPHO GENTIL,
Doctore Medico, Præſide.

An Calvæ vehementiùs contuſæ Terebra?

OSSA (quæ ſingulari naturæ artificio invicem ita repanguntur & incapiſtrantur, ut tanquam pali cæteris affixi partibus, congeſtâ compage, corpus omne fulciant, erigant & configurent) triplici morborum peculiariter injuriæ ſunt obnoxia, fracturæ, luxationi, teredini, quas non rarenter phlegmone comitatur. Continuitatis in oſſe, ab extraneis ſolùm irruentibus, ſolutionis

* *M. Ægidii le Bel, Anno* 1657.

procatarcticæ oboriuntur cauſæ, ſive à ſolidi durique corporis mole vel impetu, ejuſque obtuſi, acuti, vel ancipiti acie proſcindentis, ſive ſui veſtigia ſigillantis, & in diverſa ejuſdem vel oſſis alterius vim convertentis. Unde multifida dum in oſſa fit via vi, fracturarum multimoda ſcaturiunt genera, quorum quinque caput infeſtant; ἕδρα, cujus ſpecies ἐκκοπὴ, διακοπὴ, ἀποσκεπαρνισμὸς; φλάσις; ῥωγμή; ἀπήχημα (quod à nonnullis haud ſecùs atque τριχισμὸς τῆς ῥωγμῆς ſpecies habetur); ἔσφλασις, cujus fermè naturam redolent ἐγγείσωμα, καμάρωσις, ἐκπίεσμα. Alia verò cæteris oſſibus communia, σχιδακηδὸν, καυληδὸν, ῥαφανηδὸν, ἀλφιτηδὸν, καρυηδὸν, καλαμηδὸν, εἰς ὄνυχα, κατ' ἀποθραύσιν. Ex quibus omnibus nonnulla capiti ſolùm, quædam cæteris duntaxat oſſibus, alia cunctis etiam ſunt familiaria; quibus nec cum Galeno peccaveris ſi adjeceris ἐκβυρσωσίν.

I I.

INFLICTUM quanquam capiti ἄπαγμα, atque etiam deliteſcens pilare, & τὴν ξυμφορὴν & κατὰ τὰς ῥαφὰς ratio & ſenſus ſæpiùs ſuſpicentur, improbo tamen, nec niſi perarduo cum negotio explorate deprehendunt; tam eſt diverſa ſuturarum invicem commiſſarum formula, oſſium natura diſpar, frontis, temporum, ſyncipitis, occipitis, nec ſede modò, ſed ætate & ſexu, tum fracturarum affectu diſparium diſſimilis indoles. Hinc negotioſa res eſt perſpicacibus etiam oculis obſervaſſe malum, quod in Nerii filiâ integrâ cute fefellit, in Autonomo ſuturæ ſpecie impoſuit. Quamplurimis nihilominùs ne non credas, & quidem gravioribus clanculúmque nonnunquàm obrepentibus patere fracturas ſymptomatis; perfractos namque cæcutire videas, obmuteſcere, veterno corripi, concidere, bilem vomitu, ſanguinem naribus, oculis reddere, accutiſſimè febrire inflammato aut commoto cerebro, caput dolere, vertigine tenebricoſâ tentari, ſpirandi difficultate, ſtupore, paralyſi, convulſione, delirio, ſenſu denique & motu omninò privari. Quæ omnia eo magis ſæpiùs fucum facere medico non mireris, quod interdùm abeſſe, aut nonniſi adeſſe morituro, vel etiam commoti ſolùm cerebri contuſive pericranii eſſe conſectaria certò ſit certiùs. Quamobrem in eo diagnoſeως labore, fides potior quærenda ex ſenſu, ſectâ ad os uſque in chiaſmum cute, explorante delitentem fracturam ſpecillo, oculatâ Chirurgi manu inſtructo.

I I I.

QUICQUID fractâ calvariâ periculi aut metûs ſubeſt, diſruptis vel adapertis ictûs impetu venis, ſanguinem intra cranium, menynges, aut cerebri ſubſtantiam revomentibus, fermè contingere ſolet: Hinc nil moræ concedendum; ſed adigendâ quamprimùm terebra, ſoli catagmati non ſola ſalus, quâ reſtitanti ichori cruo-

rive, antequam in tabum ſe verterit, viam facias ferro: quanquàm æſtate maturior, ſera nimis ſi ſeptimo; hyeme tardior eſſe poteſt hæc adminiſtratio, putà decimo-quarto; fortunata tamen etiàm nonnunquam fuit vigeſimo-quarto. Hâc operâ, quæ Diæreſim, Exæreſim, & Syntheſim tibi repræſentat, licebit illicò oſſis fragmenta legere ſubjectis infeſta menyngibus, eximere volſellis, forcipibus exſcindere, vecte educere, menyngophilace adæquare, cruorem venis effuſum exhaurire vel ſaniem. Ne tamen imprudens incautuſque hoc tantæ molis opus aggrediare: trepanum temporibus, ſuperciliis, ſuturis, caveſis admoveas: Synciput quàm occiput frangi quidem, non verò terebrari fatalius eſt. Quod ſi livido, decolore, arido & ſubſidente per ora vulnere, recrudeſcentibus quoque ſymptomatis, ſanie aut ſanguine menyngibus coërcito, nihil ex oſſe terebrato profluat, quidni extimam ſcalpello membranam pertundes; audeas! nil deſperes ſi nil ſperare videaris, fretus, mordere & tripudiare quamplures, quibus ſauciatum exſectumque fuit cerebrum.

IV.

CONTUSIO, Græcis in carne ῥῆγμα, in nervoſis partibus σπάσμα; in oſſe θλᾶμα aut θλάσις dicta, interdùm citrà fiſſuram nonnunquàm cum rimâ conſorte, ex duro, gravi, & valido corpore extrinſecus irruente ita contingit, ut externa oſſis facies oculis integra appareat, friatâ tamen & comminutâ internâ oſſis portione; quod pueris potiſſimùm & tenerioribus, molliuſculis tenuioribuſve oſſibus cariei maturiori ideò obnoxiis videre eſt: Hujus plures formulæ prout plùs aut minùs, altiùs aut remiſſiùs inſederint, nec proinde propriis nominibus circunſcriptæ; binas oculis obvias ne crede; quarum unâ, os totâ ſui parte adeò graviter colliſum eſt, ut ſæpè proprior interiori calvæ menynx ab ipſo oſſe atteratur, alteretur, indeque abſcedat cruorque per ipſum os traducatur: Altera ad diploën uſque, ſupernam oſſis laminam occupat. Utraque deraſo oſſe non tantùm ejus ſcabritie & nigredine ſub oculos venit, ſed etiam ſymptomatum ſupervenientium funeſto ſatellitio ſe prodit. Ipſe tamen ut ab affectâ parte morbi magnitudinem & dignitatem metiris, ſic quoque & ampliare licet cognitionem ex teli formâ perſpectâ, viribus lædentis, ægrotantis, atque ipsâ adeò partis læſæ naturâ.

V.

ΤΡΥΠΗΣΙΣ, quæ diæreſeως differentia, oſſis eſt orbiculatim ſecti detractio quæ vel terebrâ, vel ſcalpello, vel utriſque perficitur. Terebræ pro vario uſu modus multiplex, περητήριον, χοινικὶς, Hippocrati πρίων χαρακτὸς & terebellum, quod exfoliativum juniores vocant; ſingula pro catagmatis genere uſurpare artificis eſt quadruplici nempe conſilio adminiſtrantis, quò vel depreſſas detruſaſ-

que offium partes reftituat ; exitum cruori vel faniei liberum inveniat ; remedia commodiùs admoveat ; & à præfenti fiderationis metu extimam menyngem vindicet. Eadem urget contufam ut fractam calvam terebræ neceffitas, imò nonnunquàm major, quò illa commoti graviùs cerebri, inflammationis tragicæ & lethalis fphacelifmi fit confcia. Si enim inanis, contusâ mufculi carne, digerentium diaphoreticorumque ufus eft, ubi vis major fanguinis exceffit coactaque eft, at præfentiffimum illi remedium ἀπλοτομία : quantò ociùs folidior offis contufi compages, ut reftagnanti fanguini purive aut ichori via fiat, depreffum os erigatur, partefve fracti cranii penè fideratæ collifæque eximantur, terebræ auxilium temporiùs implorat.

Ergo Calvæ vehementiùs contufæ Terebra.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Dionyfius-Claudius Doulcet.

M. Bartholomæus Tuffanus le Clerc, Medicus Regis ordinarius.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré.

M. Antonius Petit.

M. Stephanus Pourfour du Petit.

M. Pafcafius Borie, Chirurgiæ Profeffor defignatus.

M. Jofephus de Juffieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Achilles-Francifcus Fontaine.

M. Joannes-Baptifta-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius, & Regii Medicorum Collegii Nanceiani Socius Honorarius.

Proponebat Parifiis JOANNES NICOLAUS MILLIN DE LA COURVEAULT, Nivernenfis, Doctor Medicus Remenfis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus, A. R. S. H. 1754. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerfit. & Fac. Medic. Typographi, 1754.